



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

IV. Vt nullus curatum beneficium administret, nisi ante legitime per episcopum dioecesanum instructus fuerit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

psit, quod mulieres quæ soldaderas vulgariter nuncupantur, intrant publice domos prælatorum & magnatum ad comedendum & alia, loquentes prava & inhonesta colloquia plerumque corrumpentia bonos mores, facientes spectaculum de seipsis: præcipimus omnibus, & maxime prælatis, sub obtestatione diuini iudicii districtius iniungentes, ne huiusmodi mulieres permittant intrare vel esse in domibus eorumdem, nec aliquid dent eisdem.

III.

Quorundam clericorum abusum, qui fructus capellaniarum perpetuarum, seu beneficiorum, quæ ex deuotione fidelium in eorum instituuntur ecclesiis, auctoritate propria sibi appropriant, inter se diuidunt sub prætextu, quod ipsi volunt dictis capellaniis seu beneficiis deseruire, vel alias, cum de ambitionis radice procedat, & per ipsum cultus diuinus minuatur, quem desideramus augere, & ab institutione capellaniarum seu beneficiorum plurimi retrahantur, penitus reprobamus & prohibemus, expresse præcipiendo, quod huiusmodi capellaniæ, seu beneficia instituta, & de cetero instituenda, habeant iuxta ordinationem statuentium proprios seruitores. Qui vero sine licentia diocesani episcopi contra fecerint, a beneficiis quæ habent in ecclesiis in quibus hæc commiserint, donec plene restituerint quidquid contra præsentem prohibitionem perceperint, sint suspensi.

IV.

Inter episcopales sollicitudines illa debet esse præcipua, quæ versatur circa curam seu regimen anima-

ANNO
 CHRISTI
 1524.

rum, quæ in episcoporum potestate consistunt. Propterea ne astutia satanæ eos decipiat, propter rectorum ignorantiam vel defectum, & sanguis subditorum de eorum manibus requiratur, statuimus sacro Concilio approbante, quod nullus in curato beneficio administret, donec in eo per diocesenum episcopum institutione auctorizabili fuerit institutus, seu sibi cura commissa fuerit animarum: alioquin iure quod habebat in prædicto beneficio, non obstante contraria consuetudine, sit priuatus, priuilegiis & gratiis sedis apostolicæ semper saluis.

V.

Vt substantia ecclesiarum quæ solet per clericorum sobolem deperire, ad vsus debitos conseruetur, statuimus quod nullus clericorum bona intuitu ecclesiæ acquisita filiis vel filiabus suis det, vel conferat inter viuos, vel in testamento contra Canonum instituta dimittat; præcipientes omnibus episcopis in virtute sanctæ obedientiæ, quod iura super hoc edita diligenter obseruent.

VI.

Multa mentis amaritudine concitatur, grauiusque doloris aculeus perfodit mentem nostram, intelligentes, quod aliqui presbyteri detestanda & abominabili ambitione cæcati pro Missis per eos celebrandis pecuniam exigunt, & super hoc ac si velent vendere rem profanam, impudenter mercantur: quandoque etiam publice qui eas faciunt celebrari, æstimantes, vt ex eorum facto pernicioso vendunt gratiam Dei quæ in sacramento Missæ confertur, vel verius ipsum Deum qui nobis sub specie